Bibliothèque numérique

medic@

Duval, Jacques - candidat / Hardouin de Saint Jacques, Philippe - président. - An Obesi Minus Foecundi ?

1644.
Paris
Cote : ms 77 n°935

PARIS biu Santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x06x0935

ILLVSTRISSIMO NOBILISSIMOQVE DOMINO

D. PETRO PONCET

DOMINO DES FAVRES. BAS-PRVNAY &c. IN SACRO REGIS CONSISTORIO CONSILIARIO ET LIBELLORVM SVPPLICVM MAGISTRO.

F.I.P.

De fœcunditate coram Medicis Pariſienſibus agenti, & propter arentis ingenij mei infantiam vix aliquid laudabile parituro, vnus occurris, Vir Spectabilis, *qui vbere & benefico fulgore ſtemmatum tuorum, numeroſæ familiæ in longum ad poſteros iturę immortalibus ſurculis, rarâ bonorum omnis generis concordiâ; ſed magis facili illâ & amenâ morum tuorum venâ, mihi lucem, ſecuritatem, copiam auxiliorum omnium, & optatum nixum ſpondeas. Fœlix ſpicarum faſciculus ille fuit, qui quondam in magna frumenti penuria, ſecundo Nili fluminis alueo demiſſus, vicinis gentibus Ægypti fœcunditatem & fertilitatem demonſtrauit. Illuſtrium virorum illa virtus eſt,* Vir Illuſtriſſime. *Nullum certius habent argumentum dignitatis ſuæ, quàm quid beneficijs innoteſcant, ament diffundi, hominúmque vtilitati militent. Hoc omine mihi notus es: primus apud meos ingenuâ propenſione patuiſti. Hoc quoque nomine ſupplex iſte votiuæ mentis index libellus appenditur poſtibus nobilis humanitatis tuæ: cui ſi hoc vno litare contigerit, in iuge mei reatûs monumentum voueo obſequium ſempiternum.*

Tibi Deuinctiſſimus & Addictiſſimus IACOBVS DV VAL.

DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXII. DECEMBRIS,

M. PHILIPPO HARDVINO DE SAINCT IACQVES Doctore Medico, moderatore.

AN OBESI MINVS FOECVNDI?

FOECVNDITATI tota laborat Natura. Breui [illegible] deficeret, ni parentum vitam illius beneficio propagaret. Eo conſilio ſemen molita eſt; corpus mole ſæpiùs perexiguum, imò ferè non dimenſum, viribus tamen immenſum, & cui, quamuis [illegible], ſe ſuaque omnia tradidiſſe videtur. Spiritus, quos cerebrum per neruos, cor per arterias, per venas iecur ſuppeditat, in teſtibus permixti & diutinâ morâ elaborati procreatorem ſpiritum, ſeminis formam, conſtituunt; fœcunditatis parentem: cuius defectu ſcortatorum [illegible] imbellis & [illegible]. Citò ſanè euaneſceret diuina illa ſcintilla, niſi ſanguinis [illegible] ei vice materiæ ſubſterneretur, & tenuem illam auram glutinis inſtar ſiſteret atque colligaret. Eam teſtes materiam à venis & arteriis vndiquaque proliciunt: è quibus puriorem ſanguinis portionem, dulcem & oleoſam alliciunt; quam niſi reperiant in vicinis vaſis, à remotioribus exugunt, dein à diſtantiſſimis & minimis; in quibus vbi deficit, à ſingulis etiam partibus repetunt, per quas roris modò diſperſa eſt. Adeò vt non rectè ſentiat, qui ſemen à toto viribus, non mole decidere poſſe contenderit. Quæ tamen in natos parentum effigiem vis inuehit, ea dimanat à ſolis teſtibus: qui dum pro titulo principatûs ſanguinem & ſpiritus confundunt, miſcent & excoquunt; partium omnium ideam & ſpeciem, quam [illegible] continent, ſemini imprimunt, eique vim [illegible] impertiunt.

IN viris atque mulieribus ſemen prolificum: vtrumque generationis principium: inefficax alterutrum alterius conſortio deſtitutum. Vtriuſque temperies confert ad futuram conceptionem; non obeſt diſſimilis atque contraria intemperies; conſimilis ſpem illius totam adimit. Illud in vtroque ſexu duplex; maſculeum, robuſtius & calidius; fœmineum, debilius & frigidius: quorum varia permixtio mares, vel fœminas excitat. Semina infœcunda quæ tenuia; fœcunda [illegible]: aquoſa, [illegible]. Fruſtra ex ſeminis ſpumâ ſuperbi hominis ſolidæ partes conſtarentur, ni carnoſis ortum, atque illis & ſpermaticis alimentum & incrementum præberet ſanguis menſtruus, viuiparis proprius, ſolâ copiâ excrementitius, [illegible], niſi [illegible]: Ex illius ſanguinis inopiâ ſteriles fiunt viragines, ſaltatrices, & quæcunque vehementiore motu corpus exagitant. Ab impuro rara progenies; minuit idem ſobolis numerum in obeſis; auget in gracilibus: tardius in illis erumpit, ocyùſque deſinit: has etiam iuniores adoritur, nec niſi ſeniores deſerit; copioſus in iſtis, parcus in illis. Negat alimentum concepto ſemini ſiccior vterus: genitale ſemen non retinet lubricus: nimium anguſtus fœtum non continet. Quæ præter naturam craſſæ non concipiunt; iis vteri os ab omento comprimitur, nec grauidari queunt donec extenuentur.

PRÆPINGVES, quamuis [illegible] & ſanguinis penuriâ laborent, eiuſdem tamen viuifici nectaris puritate diteſcunt: [illegible]. Concoctus per [illegible] ſanguis materiam pinguedini ſuggerit. Ne quæras in exanguibus adipem aut ſeuum: vtrumque prodeſt ſi moderatum, nihil de ſenſu detrahit, confert ad bonam valetudinem, vires auget, robur conciliat: cum mediocritatis terminos prætergreditur, impeditâ difflatione, tranſpiratione prohibitâ, vitam intercipit; calorem natiuum obruit; ſtrangulat. Sub immobili onere tandiu gemuit Apronij filius, donec detracti fuerint adipes. Hinc celeriter ea ſeneſcunt quæ pinguedine differta ſunt. Eâdem de cauſâ [illegible]: quantum ſanguinis in genituram tranſit, idipſum in adipem conuertitur; nullumque omninò aut paucum in iis ſupereſt excrementum. Quæ non pingueſcunt animantia, [illegible], crebro & numeroſo partu beantur; vt lepus, perdix: contrà, homines [illegible]: [illegible], rarò generant, neque plures ſimul procreant, venerem nunquam fatigant, vix ſalacant. Non abſimilis vitibus affectio incidit, quæ nimiâ alimenti copiâ luxuriantes hircinnt. Hirci pingueſcentes minùs ſeminis habent & ferè ſalacitatis natiuæ obliuiſcuntur. [illegible].

NON tantùm in adipem futuri ſeminis materia diuertitur, ceſſit etiam in corporis incrementû. Eam ob rem magna animalia [illegible], parua verò [illegible]. Proceritatis damnû genitalis roris vbertate natura compenſat. Magnitudo corporis atque paruitas cauſam ſibi vendicant [illegible]. Annon vt in pedeſtrium genere, ſic etiam ex volatilibus & natatibus magna parum fœcunda, parua [illegible]? Minores aues ſalaces & præfœcundæ: Acanthis duodenos aius minima gignit. Malè quis ex plantarum humilitate penuriam fructuum coniecerit. Proficit ad genituram incrementi defectus: ideò gallinæ Hadrianæ [illegible]. Quæ cæteris in animantibus ſemen exhaurit corporis amplitudo, ea genituram in hominibus miriori coercet imperio. Quippè carent iis in quæ ſolet in cæteris animalibus ſupernæ tua moles conuerti, cùm non ſpargatur in ramos cornuum, nec in pennarum caules fruticet, non gerant toto copore pilorum copiam, non oſſium aut dentium excretiones ferant: quæ cùm ex ſeminis excremento gignantur, nequit natura vtroque verſus [illegible]. Hinc [illegible], nec oua ſubuentanea producunt, quæ grauibus [illegible] familiaria. Nunquid gallinæ vulgares generoſas fœcunditate ſuperant? Claudi aut aliquâ parte mutili plus ſanguinis laudabilis & ſeminis cumulant, venerique exercendæ aptiores exiſtunt. Tenuitas & imbecillitas crurum ad ſalacitatem & fœcunditatem confert.

TOTI corpori circumfuſus adeps ab externis iniuriis ſubiectas partes tutatur inſtar tegumenti, non ex lanâ aut pilo mutuatitio, ſed ex pinguiore & aëreâ ſanguinis portione conflati: quæ dum è venis exilit à denſiore cute coercetur, craſſeſcit: caloris natiui prohibet effluxum, gratiam & venuſtatem conciliat: partis tamen nomine non inſignitur, nec vitæ beneficio fruitur. Modum ſemper non agnoſcit: multus in hunc abſumitur ſanguis: vaſa depauperat, teſtes ſuo genio defraudat, vteri fluenta deſiccat. Obeſæ mulieres propter menſtruorum paupertatem cum gracilibus de fœcunditate non audent contendere: cùm non concipiant ſi præpingues exiſtant; quòd ſemen vteri parietibus pingui humore delibutis adhæſurum vix admittant, aut admiſſum citò emittant: ſi fortè concipiant, conceptum enutrire & ad perfectum incrementum deducere nequeunt alimenti penuriâ & locorum anguſtiâ: Natura in iis adeò de pinguedine ſolicita, generationis hominis oblita videtur. Benè cum iis agitur cùm vnum, ſæpiùs fœmineum, aut imbecillum in lucem proferunt. Binos pluréſue fœtus maſculinos etiam & robuſtos aliis edere conceditur, frequenterque parere, aliquando & ſuperfœtare, quod illis denegatur. Ad venerem adeò ſegnes ſunt vt Lucina libenter Lacedæmonias mulieres immitteret; quæ, irrito conatu, colaphis monerent officij. Fruſtrà nouæ nuptæ intrantes ſuillo atque etiam lupino adipe poſtes perungerent, ni ſuam illam quâ grauantur ſarcinam obeſæ deponerent. Qui ſaginare cupiunt animalia, teſtes iis eximunt. Macreſcunt mulieroſi, toties agitatâ venere materiem adipis diſſipantes, partibus alimentum eripientes: alterum alteri ſtruit inſidias; rara vtriuſque concordia. [illegible].

ERGO OBESI MINVS FOECVNDI.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS DV VAL, Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. XLIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Breget.	*M. Durandus Franciſcus Yon.*	*M. Petrus le Comte.*
M. Robertus. Debonnaire.	*M. Leo le Tourneurs.*	*M. Guillelmus de Vailly.*
M. Martinus Akakia Profeſſ. Reg.	*M. Nicolaus Cappon.*	*M. Claudius Geruais.*